



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De symonia vnde dicitur, & quid sit. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

De symonia dicitur, & quid sit. D

De symoniacis verò non est ambigendum, quin sint hæretici: qui tamen ante sententiam degradationis & ordinant, & consecrant. Et licet symoniaci propriè dicantur, qui instar Symonis magi imprecabilem gratiam pretio conducere volunt, & qui pro ministerio sacro precium recipiunt in modum Giezi, Gieziæ vocandi sunt. Omnes & dantes & accipientes, symoniaci dicuntur: & vtrique eadem sententia percelluntur.

Act. 8. d
4. Reg. 5. f

De his qui scienter à symoniacis ordinantur. E

Differt tamen inter eos, qui ordinantur à symoniacis scienter, & eos qui ignoranter. Qui enim scienter à symoniacis se permiserint consecrari, imò execrari: eorum consecratio omnino irrita est. Qui vero ordinantur à symoniacis, quos cum ordinantur nesciunt esse symoniacos, qui & tunc pro Catholicis habentur: eorum ordinatio misericorditer sustinetur.

Urbanus
Papa, 1. q. 1.
Si qui à symoniacis.

De his qui dicunt se emere corporalia, non spiritualia. F

Si vero aliqui obiecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proueniunt: penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit.

Pasch. 1. q. 33
c. si quis obiecerit.

Distinctio symoniacorum. G

Symoniacæ autem hæresis tripartita est distinctio. Alij enim symoniacè à symoniacis ordinantur: Alii symoniacè à non symoniacis. Alii non symoniacè à symoniacis. Vnde Nicol. Papa. Statuimus decretum de symoniaca tripartita hæresi, id est, de symoniacis symoniacè ordinatibus vel ordinatis, & de symoniacis symoniacè à non symoniacis, & de symoniacis non symoniacè à symoniacis. Symoniaci symoniacè ordinati vel ordinatores, secundum canones, à proprio gradu degradant, Symoniaci etiam symoniacè à non symo-

Nicolaus II.
1. q. 1. ca. statuimus decretum.

